


Bibliothèque numérique

medic@

Gayat, F. - candidat / Ravenet,
Louis-Antoine - président. - [De
claviculae fracturâ]

1754.

***Paris : Typis FR. Delaguette
Chirurgorum Collegii
Typographi
Cote : ms 2342, n°38***



SÈRENISSIMO PRINCIPI
JOANNI-BRETAGNE-CAROLO-GOTHOFRIDO
DE TREMOLLIA,

TOARSENSIUM DUCI, PRINCIPI TARENTINO, LAVALLENSIUM
COMITI, BARONI DE VITRÆO, &c. PARI FRANCIÆ,
COMITIORUM ARMORICÆ PRÆSIDI NATO.

*Vovet, offert & consecrat obsequentissimus F. GAYAT, Chirurgicis
studiis addictus.*

THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



D sublimem Corporis humani partium, elegantemque
symmetriam attendens, quis admirationem suam con-
tineat? quam stupenda tot fibrillarum artificiosa dispo-
sitio! his coeuntibus, quot exurgunt organa! quam
varia, quam vario diffunguntur officio! alia enim vectum, alia

cuneorum, Trochlearum Elaterumque vices obeunt. Quantus sit partes inter omnes consensus, quantaque concordia, adeo ut, unâ læsâ, cœteris periculum immineat, totiusque machinæ mirabilis concinnitas ruat. Patebit expositâ claviculæ fracturâ de quâ dicturi sumus, paucis de Anatomîâ præmissis.

CLAVICULÆ duo sunt ossa, in thoracis parte superiori ad utrumque latus transversè anteriùs posita.

IN unâ quâque claviculâ, corpus, extremitates, figura, substantia, situs, connexio & usus, consideranda veniunt.

CLAVICULA brachio agilitatem consiliat, versùs Thoracem ne nimis feratur impedit, & musculis quibusdam insertionem præbet.

CONTINUI solutio per instrumentum retusum in os illatum, propriè fractura dicitur: omnis ergò violentia externa, corporum gravium delapsus, cujuslibet instrumenti percussio, dum modò contundendo lædat, pro fracturarum causis habentur.

FRACTURA vel est simplex, composita vel complicata, multas præterea differentias desumit ex diverso fragmentorum ossis fracti sitû, diversâque figurâ.

MULTIS mediis dignosci possunt fracturæ, visû scilicet Taçtû; auditû &c.

MULTA fracturas sequuntur accidentia, functio ossis ut plurimum læsa, dolor, inflammatio, febris, hæmorrhagia, convulsio, gangræna, &c.

SIMPLICITAS, compositio & complicatio fracturarum prognosin constituunt.

FRACTURARUM ad curam tria necessariò requiruntur; ossis restitutio in situm naturalem, in illo sitû retentio, & calli laudabilis generatio.

FRACTURIS non parum obnoxie sunt claviculæ, tum illorum

proptèr situm transversum, tum³ proptèr tenuitatem.

VEL obliquè vel transversè franguntur claviculae, in unâ tantum aut in diversâ continuitatis parte, nonnunquam cum fragmentis à se invicem recedentibus & vicina pungentibus, hinc variae clavicularum fracturae.

QUOD ad causas pariter & ad signa fractae claviculae attinet, prolixitatis vitandae causâ, ad signa causasque fracturarum in genere, revocandum satius nobis videtur.

DEDUCENDA est prognosis è diversâ fracturae specie, & accidentium saevitiâ, periculosior fractura in obliquum, periculosissima quæ cum graviore contusione, fragmentisque à se invicem recessis.

FRACTA clavicula faciliè reponitur, at in sede sua retineri, hoc opus, hic labor.

ÆGROTUS ritè collocandus, extensio tunc & contra extensio à ministro celebrandæ, os fractum componendum & in sede naturali, fasciarum spleniorumque ope, pro variis fracturae speciebus, retinendum.

VINCTURA simplici, spicâ dictâ, utimur, spleniis prius impletis cavitatibus suprâ & infrâ claviculam, & his super imposito splenio longo cuius pars media sub axillâ applicatur, ita ut capita in formam litteræ X. super claviculam læsam se invicem decussent, quibus per actis mentilis ope brachium suspenditur.

CLAVICULÆ repositæ ne dimoveantur, de speciali instrumento in formam litteræ T. confecto quò scapulæ firmantur, & retrorsum continentur differunt. Heist. (a) & D. Lecler (b).

A reliquo osse si fragmenta recedant, carnes pungant, vel repositionem impedian, incisionis ope, si necesse habeatur, eximenda sunt, subjacentium intereà partium læsio præcavenda.

(a) Chir. p. 1. lib. 2.

(b) Chir. tom. 2. pag. 330.

4

Si sint accidentia deligationem frequenter expetentia, fasciâ ductibus figuram ∞ efformante, partemque læsam non integrè tegente, humeri retrorsum continendi sunt, dum morbus complicans mediis idoneis debellatur.

Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside LUDOVICO-ANTONIO RAVENET, Liberalium Artium & Chirurgiæ Magistro, scholarum moderatore, necnon Nosocomiorum Castrensiũ & Regis exercitũs Chirurgo, tueri conabitur F. GAYAT Janivilleus, in almâ Universitate Parisiensi Artium Magister, necnon nupèr de præcipuis in Nosocomio Parisiensi, nuncque Illustrissimi Ducis de Tremolliâ Chirurgus.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Veneris 28â. Junii, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam. Anno reparatæ Salutis 1754.

PRO ACTU PUBLICO

ET MAGISTERII LAUREA.

Typis FR. DELAGUETTE Chir. Collegii Typographi.